



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 70. Dominici Mariæ Ferrari Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII. Regis Jesuitam perpetrata fuissent ex-
 A. C. 1716. minata, & tandem Cardinales S. Con-
 gregationis Rituum hoc anno declara-
 rent, prædictum Dei Famulum cum
 consuetis indultis Beatum declarari
 posse, hinc Pontifex die octava Maij
 piis Franciæ Præfulum & Provinciæ Oc-
 citaniæ Magistratum, atque Jesuitarum
 precibus annuens, auctoritate Aposto-
 lica indulget, ut idem Dei Servus in-
 posterum Beati nomine nuncupetur,
 ejusque Corpus, & Reliquiæ fidelium
 venerationi exponi, & de eo tanquam
 Confessore Officium & Missa cum spe-
 ciali oratione celebrari possit: ipsa no-
 tem Beatificationis solemnia ad diem
 vigesimam quartam Maij distulit, cui
 festivitati maximis expensis celebratae
 Carolus Albertus primogenitus Bavaricæ
 Electoris Filius, qui Mense Aprili Pa-
 pam salutaturus, Romam venerat, in-
 terfuit.

§. LXX.

*Dominici Mariæ Ferrari Cardinalis
 obitus.*

*Vit. Card
 t. I. p. 214.
 Dorsann.
 Journal
 pag. 289.
 Part. I.*

Hoc anno non sine maximo summi
 Pontificis, & totius S. Collegii luctu
 decessit Dominicus Maria Ferrari. Hic
 Mandariæ Neapolitani Regni Urbe ho-
 nestis, tenuis tamen fortunæ Parente-
 bus

bus natus, ob miram ingenii aciem, ^{Sæc. XVIII.}
 invictum sciendi ardorem, singularem ^{A. C. 1716.}
 morum ingenuitatem, & fervidum B. V.
 cultum pietatisque studium a teneris,
 quanti meriti Vir futurus esset, præ-
 sagiebat. Vix decimum quintum æta-
 tis annum emensus erat, cum divino
 sese famulatui in Sacra Prædicatorum
 familia devoveret, literisque graviori-
 bus in Monasterio ad S. Spiritum edi-
 scendis admotus, tantum brevi tem-
 poris intervallo, in Philosophicis juxta
 ac Theologicis disciplinis profecit, ut
 in celeberrimo Collegio S. Thomæ A-
 quinatis Neapoli Philosophiam profi-
 teri juberetur. Bononiæ deinde Inno-
 centii XI. jussu supremam Theologiæ
 Cathedram moderatus, & paulopost ab
 eodem Pontifice Romam evocatus, Ma-
 gister S. Palatii nominabatur, atque
 Apostolici Concionatoris munus obire
 jussus, non sine maximo omnium ap-
 plausu usque ad præfati Pontificis obi-
 tum Sacro huic ministerio vacabat.
 His virtutibus & doctrinæ gloria illu-
 stris Innocentio XII. cui hujus Viri me-
 rita jam Bononiæ erant perspecta, in
 paucis gratus exstitit, ac familiaris,
 ab eoque deposcentibus meritis Sacra
 Purpura & Beneventana Abbatia S.
 Bartholomæi in Galdo auctus est. In-
 tererat anno Christi millesimo septin-
 gente-

Sæc. XVIII. gentesimo sacris comitiis, in quibus
 A.C. 1716. tamen nec favoris spe, nec indigna-
 tionis metu a dignioris electione amo-
 veri poterat; eapropter a Clemente XI.
 æquissimo pietatis atque eruditionis
 æstimatore tanti habebatur, ut gravis-
 simis Ecclesiæ & Christianæ Reipublicæ
 negotiis transigendis adhiberetur, &
 quamvis Papam Gallorum partibus
 mire addiæctum nosset, prævalente ta-
 men æquitatis amore plerumque Au-
 striacæ Domus jura propugnabat, imo
 haud parum conferebat, ut tandem Pon-
 tifex Carolum III. in Hispaniæ Regem
 agnosceret. Præcipuum tamen, quo hujus
 Viri eruditio, Religionis fervor, Sedis-
 que Apostolicæ studium enituit, erat
 famosa Constitutio *Unigenitus*, quam
 quia ipsemet potissimam partem cum
 Fabronio & Tolomæo Cardinalibus
 concinnaverat, non sine maximo la-
 bore, ac multiplici fastidio contra illius
 oppugnatores usque ad extremum vitæ
 suæ diem propugnare jubebatur, sele-
 ctus a Pontifice, ut cum Abbate Che-
 valiero, quem Cardinalis Noaillius,
 ceterique Opponentes Episcopi unacum
 doctrinæ suæ articulis Romam ablega-
 verant, desuper conferret: Discutiendi
 difficultatibus a præfato Abbate
 expositis integras sex horas per diem
 impendebat, & sumpto vix prandio
 labo-

laborem impigre profecutus, noctes Sæc. XVIII.
 plerumque insomnes duxit, viresque A. C. 1716.
 suas tam assiduo studio exhaustit, ut in
 gravem incideret morbum: Has diffi-
 cultates, si tamen Abbati Dorfanne
 Sorbonico Doctori & Parisiensi Vicario
 Generali fides est, adeo solidas esse
 censuit, ut non sine maximis animi sui
 angustiis præfente Generali Domini-
 canorum Procuratore exclamarit: *Bulla*
jam est edita, necesse est satisfeci
muni meo, prædixi. Ut ut de hoc sit,
 id omnino certum est, quod corpore
 oneri succumbente, die vigesima Au-
 gusti meritis plenus animam Deo red-
 diderit, annos natus sexaginta septem.
 Vir erat eruditione, prudentia, pie-
 tate, & Religionis fervore longe præ-
 stantissimus, Instituti sui tam exactus
 cultor, ut ad Ecclesiæ dignitates eve-
 ctus, nunquam a pristino vivendi ri-
 gore & observantiæ Regularis exerci-
 tatione quicquam remitteret: Acerri-
 mus quoque erat hæreticorum & No-
 vatorum hostis, & invictus Immuni-
 tatis Ecclesiasticæ vindex; quo etiam
 fervore incensus contra Franciæ Epi-
 scopos eruditissimum opus *de materia*
Regalium edidit.